



77

ILLUSTRIS

GYMNASII SERVESTANI

RECTOR.

M. Marcus Fridericus Wendelinus,
Studiof. salut:

Nillum majus meliusve, inquit, 2. de Divinatione, Cicero, Reipublicæ adferre munus possumus, quàm si docemus atq; erudimus juventutem: his præsertim moribus atq; temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refræanda atq; coercenda sit. Effati veritatem nostra mirificè confirmant tempora: ita, ut lusus tantùm jocusq; Ciceronis querela, præ temporum nostrorum moribus, appellanda videatur. Malo huic nisi humaniori institutione & severiori disciplinâ maturè eatur obviam, quid nisi horrenda Barbaries speranda, istiusque Cyclopice Reipublicæ imago, in quâ *ἡδὲς ἡδὲς ἡδὲς ἀνῆι*. Nec est quòd in effrænâ juventutis licentiâ connivendum quis existimet, eò quòd extingui fervor iste cum ætate solet. Res hæc periculî plenissima, & innumerâ tragicorum exemplorum multitudine jam pridem convicta: sic enim fieri sæpiùs assolet, ut pueri mali in peiores adolescentes, in pessimos evadant viros. Tàm ergò salutaris & necessaria juventuti severa disciplina & felix institutio, quàm hianti aridoq; solo largior

A

gior

gior irrigatio, quàm inculto horridoq; loco accuratioꝝ
cultura. Sed ut ista non quibusvis undis, sed salutaribus
duntaxat, aut quibuscunq; manibus, sed peritis solum pro-
curatur: Sic & illa virum requirit, non è vulgo quemvis,
sed cui de meliori luto ficta præcordia. Ardua namq; Do-
ctoris provincia, & haud exiguo cum periculo conjuncta.
Ni enim viâ incedat rectâ, parata præcipitia, quæ puero-
rum, adolescentum & virorum funeribus omnem com-
plent Rempublicam. Tristia hæc fata in scholis (proh do-
lor!) nimium frequentata, ut tandem declinentur, agite,
ad Platonem tripodem decurramus, & probi Doctoris
Criteria sciscitemur. Laches, dialogus *περὶ ἀνδρείας*, insi-
gnia quatuor recenset, quæ paucis perstringere in rem o-
mnino fuerit. Primum scientiam in doctore requirit exa-
ctam eorum, quæ tradenda discipulis: Hoc enim si careat
præsidio doctor, ecquid docebit? Eane, quæ ipse nō didicit?
Infelicem doctorem! infeliciores, fatuos discipulos! qui à
Codro Cræsi divitias expectant; ab imbelli columbâ gene-
rosam aquilam; à navitâ pecoris curam; à pastore navis gu-
bernationem. Sed exactam, inquam, cum Platone scienti-
am requirimus, ne imperitorum more medicorū animas
hominum negotietur, periculis alienis discat, per mortes
experimenta agat. Et quid turpius quàm illud Euripidis
exaudire? cum oratione ad persuadendum parum valeres,
legationes obibas; cum familiari in re inertia torperes,
rem capeffere publicam cupiebas: ratiocinandi imperi-
tissimus cum esses, quæstorem agebas. Solidam hanc
scientiam à nobilibus præceptoribus profectam, & usu
longiori confirmatam, idem vult Plato. Utriq; constat
sua ratio. Ut enim veteres dixere, magister sibi quisque
pessimus: contingitq; raro, ut sub umbrâ & parietibus pri-
vatis doctores nati, & propriis institutis præceptisque im-
buti

buti ad veræ eruditionis fastigium felici nisu ascendant,
eodemq; successu inferiores extollant. Causam quæris?
Inflatum tumidumq; hominum istud genus, se solum mi-
ratur, foetus suos, quantumvis monstrosos, solos amplecti-
tur, & per prærupta sæpenumerò phantasiarum præcipitia
ita devolvitur, ut recolligere se & in viam reverti regiam
nunquam valeat: quam aleam non subeunt, qui peritos
viarum duces sibi legunt. Movit periculum hoc olim
sapientiæ amatores, ut in doctorum celebrium gratiam
remotissimas orbis partes adierint, maria trajecerint,
neglectis vulgi conviciis, posthabitis vitæ periculis. De
scientiâ, usu & exercitatione, confirmandâ non est quod
prolixè disseram. Videas enim jam nunc, qui rerum è
tumore turgent, & vanissimo scientiarum strepitu cun-
cta complent, si specimen in publico sit edendum, si ac-
curatius in rem inquirendum, si examina sustinenda, ceu
pisces mutos in sicco littore hæerere, titubare, cæcutire,
nova, inusitata & peregrina omnia proclamare; eò quòd e-
ruditorum conversatione & exercitatione usi non sint.
Summa, tantum isti, è Petronii iudicio, proficiunt, ut,
cum in forum eruditorum venerint, putent se in alium
terrarum orbem delatos. Alterum boni Doctoris
γνώσιμα est accurata & diligens institutio. Nec enim
in cortice saltem occupandi discipuli, sed ad medullam
deducendi, constanti laborum tolerantia, prolixâ libe-
ralitate, amabili comitate. Singula hæc exactius per-
sequi longum foret nimis. Ad tertium properamus,
quam methodum Plato vocat. Tanti ea momenti, ut o-
mnis disciplinæ & actionis anima meritissimo jure dici
& agnosci debeat. Infiniti namq; ut nulla methodus, sic
nulla scientia: tolle methodum, & omnem sustuleris scien-
tiam: chaos in naturam introduxeris: temporis & inge-

niorum pretio turpissimè abusus fueris. Hoc filum istud Ariadnæum, quo omnes universæ naturæ, omnes omnium disciplinarum labyrinthos ingredi & egredi mirabili facilitate licet. Nec methodum saltem ad disciplinas restringit Plato, sed & ad discipulorum ingenia, quæ prudenti Doctore exploranda, ne pueris cothurni Herculis aptentur, ne numeris Platonice aut ænigmatibus Bœoticis simpliciores occupentur. Deniq; in doctore requirit Plato vitam doctrinæ consentientem, *σύμφορον* vocat *τοῖς λόγοις βίον*. Hæc suavis ista harmonia, quæ in sui amorem & admirationem DEUM hominesq; rapit; nec suavis minus, quàm necessaria. Tam enim pronâ mēte nihil discitur, quàm quod exemplis docetur: nec docentis existimationem quicquam graviùs lædit, quàm dictorum factorumq; discrepantia. Ecquis enim non rideat differentem de temperantiâ vappam, de concordia seditiosum, plagosum de mansuetudine, calumniatorem de benevolentia & sinceritate, inflatum & imperitandi cupidum de humilitate? Hactenus Platonice doctoris Idea. Utinam verò tam ea in factis esset quàm in dictis frequens! Quàm benè haberet literaria Respublica! Nostris equidem Illustrissimis Principibus nulla antiquior potiorve cura, quàm ut hac quoq; parte avitæ pietatis insignia edant specimina. Priora tempora ut prætereamus, è præsentibus illustre exēplum vulgamus: Jacuit aliquandiu in Illustri nostro Gymnasio publica Juris professio: ne quid ergo detrimenti caperet literaria res, de juris Doctore, quo orbata jam schola nostra, vocando, diu multumq; Illustrissimis Principibus nostris deliberatum. Ferventi verò prudentissimæ hujus consultationis opere, singulari fato accidit, ut Clarissimus & Consultissimus vir, Cyriacus Herdesianus. J. U. D. decennis peregrinationis cursu felicissimè confecto, potioribus

Europæ

Europæ partibus, Germaniâ, Galliâ, Angliâ, Italiâ, Hispaniâ, terrâ mariq; perlustratis, ad tranquillum patriæ, hoc est, Anhaltinatus portum, secundis velis placidissimè appulerit, & quicquid bonorum, herculeo labore, in exteris prudentiæ & sapientiæ Emporiis sibi parasset, in patriæ finem quàm liberalissimè effundere animum induxerit. Animum viri hujus ubi cognoverant Illustrissimi Principes, JOHANNES GEORGIUS, CHRISTIANUS, AUGUSTUS, RUDOLPHUS, LUDOVICUS, Domini nostri Clementissimi, Gymnasio gratulabantur Illustri, & sollicitæ deliberationi finem imponendum existimabant: cum virum oblatum sibi vidissent splendidiori etiam sorte dignum. Itaq; cunctorum suffragiis ad publicam Juris professionem exinde solemnibus literis vocatus, & ab Illustrissimo quoq; Principe nostro Rudolpho in Aulicorum consiliariorum numerû lectus est: utrumq; honorem non prece, aut amicorum favore, sed virtute à Principibus impetrante. Vobis, auditores, de viro hoc quid promittam, quæritis? Boni doctoris ideam ex Platone delineavi: vivam ejus imaginem in hoc viro adspicite. De doctrinæ soliditate securus vos esse jubeo: loquuntur, eam exterorum testimonia, scripta edita, privata amicorum colloquia. Nec verò in obscuris & privatis ea angulis est nata, sed in patentissimis & cultissimis Europæ regionibus, Germaniâ, inquam, Angliâ, Galliâ, Italiâ, Hispaniâ: non ab obscuris profecta hominibus, sed clarissimis per omnes hæc regiones literariæ Reipublicæ Dictatoribus, Godofredis, inquam, Leveniis, Freheris, Lingesheimiis, Camerariis, Nebeliis, Hoffmannis, Rittershusiis, Iteliis, Heinsis, Badiis, Bronchorstis, Meursis, Puteanis, Lectiis, Causabonis, Paciis, Thuanis, Baldvinis, Mornais, Bengæis, Hortensis, Accariis, Peregrinis, adjuta & confirmata. Sunt quidam

in alienâ Republicâ nimum curiosi, in suâ sat negligentes, qui peregrinationes theoreticis studiis obesse existimant, nec solidi quidpiam, nisi in perpetuo torpore, addisci posse credunt. Hos scire velim, esse modum in rebus: nec Manucodiatarum instar, perpetuâ agitatione, terras circuire, qui benè peregrinationibus utuntur. Certamamq; iis quietis & motus sunt intervalla. Tam igitur diu subsistunt, donec & linguas & mores hominum didicerint, literatorumq; tam publica quàm privata commercia frequentarint. Haccine discendi viâ ulla compendiosior? Ingressus eandem est Clarissimus hic vir: nec linguas tantum hominumq; , quos adiit, mores ad unguè didicit, sed et studiis felicissimè, crebrioribus exercitationibus, apud exteros consuluit. Testem te produco Allobrogum Aureliam, quæ civile jus (monente ita consultissimo Jacobo Lectio) interpretantem è publico suggestu audivisti. Audivistis sub eodem præside, Bituriges, nobiliores è civili & feudali jure materias disputatas, vidistis scriptis publicatas. Et peregrinationes exercitationibus etiamnum obstabunt? De viri hujus eruditione quæ polliceri vobis habui, hæc fuere. De fideli & methodicâ docendi ratione, sequenti Mercurii die, qui 26. Aprilis erit, ipsummet verba facientem audietis. Dictorum factorumq; harmoniam vitæ apud exteros honestissimè actæ testimonia spondent honestissima, ipsaque viri præsentia. Vos, studiosi Juvenes, operam dabit, ut ad diem modo dictum, post octavam matutinam, in auditorio nostro frequentes conveniatis, & cum Principis ad nos & vos legarum, tum clarissimum Dominum Cyriacum Herdesianum J. U. D. de vocatione & officii ratione ad vos differentem, cã, quâ par est, modestiâ & attentione audiatis. V. 23. Aprilis Anno 1615.





W 1999

[70/98]

ULB Halle 3
001 915 363



56


V3 17 ✓
Retro ✓





70





Farbkarte #13

B.I.G.



77



STRIS ERVESTA TOR.

us \forall Vendelinus,
salut:

neliusve, inquit, 2. de
o, Reipublicæ adferre mu-
n si docemus atq; erudimus
æsertim moribus atq; tem-
st, ut omnium opibus refræ-
ati veritatem nostra mirificè
usus tantum jocusq; Cicero-
strorum moribus, appellan-
umaniori institutione & se-
ar obviam, quid nisi horren-
ie Cyclopice Reipublicæ i-
ses. Nec est quod in effrænâ
lum quis existimet, eò quod
te soleat. Res hæc periculi
icorum exemplorum multi-
fic enim fieri sæpius assolet,
scientes, in pessimos evadant
t necessaria juventuti severa
quàm hianti aridoq; solo lar-
A gior

